



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 15. Quàm iustè Diui subinde, immisso malo spiritu, impios puniant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

bus dæmoniorum exponebantur, vt in eos magis quàm antè grassarentur, ægritudine corporis, vulneribus aut plagis, quasi possessos, hoc est enim *in interitum carnis* tradere. Quemadmodum postea, cùm S. Ambrosius quendam Satanæ tradidisset, dæmon eodem momento eum abripiens discerpere cœpit.

Paulin. in  
vita S.  
Ambrosij

§ XV.

*Quàm iuste Diui subinde, immisso malo spiritu, impios puniant?*

Quòd si mortales hoc rectè fecerunt, cur non & Diui calites, eodem vindice, vterentur, ad honorem suum defendendum? Enimuerò vsi sunt. Luculentus testis est Gregorius Turonensis, apud Tricassinorum Campaniæ urbem templum fuisse, in quo S. Lupi ossa condita fuerunt. Ad illud templum Mauri cuiusdam seruus confugit, quem assecutus herus in S. Lupum verba blasphema euomuit, qui extemplo diuinam ultionem sensit. Quippe lingua, qua dira verba effudit, obrigit; & Tartareo enthusiasmo agitatedum horrendum mugire, totamq; clamoribus inconditis ædem replere cœpit, tertiaque die, cum grauissimo cruciatu, vitam finiuit. Vt Ma-

S. Gregorius  
Turonensis cap.  
67. de  
Gloria  
Confess.

Baron.  
to. 7 An.  
Christi  
630.

tris quoque suæ honorem defenderet Christus, ad eundem modum in illam blasphemos puniuit. Nam, vt post Cedrenum Baronius memorat, aliquando Græci in domo cuiusdam prandentes, eò prolapsi sunt, vt in Virginem Deiparam conuitia & execrationes iacerent. Horum aliqui illico à malis spiritibus correpti pœnas dederunt. Diabolicum crimen est, blasphemare; jure igitur meretur diabolum punientem, vt impij isti jam eum tortorem incipiant pati, quem in inferno æternum sustinebunt, punitorem. Denique quid homines queruntur, se permitti à Deo diaboli potestati, vel sanctis se vindicantibus, vel parentibus imprecantibus; cùm toties ipsi sibi diabolum imprecantur? Nonne digni sunt, vt exaudiantur, & monstrosè optantes monstra fiant? ô si homines agnoscerent, quantum sit malum à diabolo possideri, & multò magis, ab illo in infernum abripi; utiq; sibi ipsis non imprecarentur, ab hoc tam crudeli hospite possideri; neq; iurando tam temerè dicerent: *Diabolus me rapiat: Mille diaboli me lacerent; Mille diaboli me auferant, si hoc, vel illud feci.* Fecerunt, & audent iurare? Veniret prorsus  
in exi-

in exitium humanum tam auidus hostis, nisi diuinæ bonitatis immensitas cupientem toties prohiberet. Quæ proinde potius admiranda est, quòd non sapius faciat. potestatem diabolis in homines insiliendi; quàm quòd tam rarò in sceleratissimos, & omni supplicio dignissimos eos immittat.

§. XVI.

*An, & cur innocentes Deus sinat à malis spiritibus insidari?*

Illa itaque maior potest esse quæstio, cur aliqui absque vlla sua culpa sinantur à cadæmone vexari? Nam & tales à malo spiritu subinde inuadi, cum experientia docet D. Augustinus his verbis: *Graue in-*  
*gum filios Adam à die exitus de ventre matris*  
*eorum, usq; in diem sepulturae & matrem,*  
*omnium, usque ad eò impleri est necesse; ut ipsi*  
*paruuli per lauacrum regenerationis ab origi-*  
*nali peccato, quo solùm tenebantur vinculo,*  
*iam soluti, multa patientes nonnulli incursiones*  
*Spirituum malignorum patiantur?* Habentur huius generis quàm plurima exempla. Sufficit illud, quod Marcus recenset, de eo qui dixit: *Magister attuli filium meum ad te*  
*habentem spiritum mutum: qui, ubicunque*  
*eum apprehenderit, allidit illum, & spumat,*

S. Aug.  
lib. 21. de  
ciu. c. 18.

Marc. 9.  
16.

